ORATIO DE ANTIQUIS HISTORICIS CUM RECENTIORIBUS COMPARATIS

Antonie Goudoever

J. O. Repelaar van Driel viro Nobilissimo

m. a.

~~216. T3.~~

1816

O R A T I O

D E

ANTIQUIS HISTORICIS

CUM RECENTIORIBUS COMPARATIS.

ANTONII VAN GOUDOEVER

ORATIO

DE

ANTIQUIS HISTORICIS
CUM RECENTIORIBUS COMPARATIS.

Habita a. d. XXII *Januarii ann.* MDCCCXVI.

QUUM IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA
LITERARUM HUMANIORUM PROFESSIONEM
AUSPICARETUR.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD OTTON. JOANN. VAN PADDENBURG,
ET J. VAN SCHOONHOVEN,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
MDCCCXVI.

❀ ❀ ❀

Academiae Rheno-Trajectinae Curatores, Viri Gravisſimi, Amplisſimi, Magnifici!

Qui in Regno Belgico, in hac Regione, aut hac in urbe rebus publicis adminiſtrandis juſtitiaeve vindicandae praeestis, Viri Splendidisſimi, Spectatisſimi!

Academiae Rector caeterique artium ac disciplinarum Profesſores, Viri Clarisſimi!

Chirurgiae et Artis obſtetriciae Lector Experientisſime!

Divinorum oraculorum Interpretes et Praecones Doctisſimi, Reverendi!

Artium Doctrinarumque Doctores Conſultisſimi, Experientisſimi, Acutisſimi!

Cives et Hospites omnis ordinis, loci ac dignitatis Acceptisſimi!

Vos etiam Cives Academici Ornatisſimi! Spes Parentum, Patriae, Humanitatis!

Nulla facile ars ac disciplina dici excogitarive posſit, quae non ſuos habeat cultores acerrimo ipſius ſtudio et amore ductos: paucae vero ſunt, quas laudant celebrantque et amant adeo univerſi. In his autem Historiam praecipuum aliquem habere locum, quis est qui neget? Haec enim testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuncia vetustatis, omnem videtur humanitatem ſpectare at-

atque ad omnes adeo homines pertinere. Quo circa minime mirum cuiquam debet videri, nullam gentem, nullum fere hominem inveniri, qui quidem ad aliquem ingenii cultum accesserit, cujus animo infixum non sit ea nosse, quae olim acciderint, cum praesentibus ea conjungere, atque in hac ipsa conjunctione et comparatione se felicem atque beatum circumspicere. Constat hoc de singulis, constat de universis: constat de Antiquis, constat item de Recentioribus. Uti vero omnes artes doctrinaeque pro diverso ingenii cultu proque diversâ temporum, Reipublicae aliarumque rerum ratione, solent apud alios alio modo tractari; sic Historia quoque aliam apud alias gentes pro diverso tempore formam habuit. Solet enim Historiae moderatrix esse legentium prudentia. Aliter eam excoluerunt Graeci Romanique, aliter Recentiores: unde saepenumero comparatio solet inter utramque rationem institui. Et omnino tantae in utroque genere sunt dotes atque

virtutes, ut dubia mens haereat, Antiquos sequatur an Recentiores. Extollunt alii Antiquorum orationem, ejusque colores nitidos, laetos, collustratos mirantur. Laudant alii prudens Recentiorum fincerumque judicium, eorumque acumen, integritatem, feveram omnium rerum inquifitionem probant. Illi in Antiquorum fcriptis majorem aequabilitatem atque confenfum fibi invenire videntur: hi contra, haec ipfa Recentiorum varietati et copiae postponenda judicant. Verbo: Antiquis alii, alii Recentioribus victoriae palmam tribuunt.

Haec mihi animo perpendenti cogitatio incidit, neque ab hujus diei folennitate, neque ab hujus concionis dignitate, neque etiam a muneris mei ratione alienum fore, fi inter utramque Historiae tractandae rationem qualemcunque comparationem inftituero. Itaque dicam *de Antiquis Historicis cum Recentioribus Comparatis.*

Ante vero quam de re ipfâ dicere incipio, pauca de me dicenda habeo. Videtis aetatem

A. A.

A. A. quam parum sit ad probabiliter dicendum apta: novistis temporis angustias, intra quas haec mihi oratio componenda fuit: novistis multiplices et varias occupationes, quae me assidue ab eâ avocarunt: novistis etiam, quam grave sit parum diserto, tantâ coronâ, ex hoc suggestu verba facere, unde non nisi eloquentes audire consuestis. Ast caussam agere aggredior non tam persiciundi spe, quam experiundi voluntate, nullam aliam nec potiorem commendationem habiturus, nisi modestiam et hujus qualiscunque orationis argumentum.

Ut recte aliquando invicem comparemus antiquos Historicos et recentiores; primum hoc nobis enitendum videtur, ut quinam fuerint, quibusque laudibus praestiterint cognoscamus. His perspectis, utrosque censere, inter se conferre, et vero ipsi judicare poteritis, utris victoriae palmam tribuatis. Sed non satis est, universe declarasse, Historicorum nomine nos non significare jejunos istos annalium commentariorum-

rum-

rumque confectores, qui tam apud veteres quam apud recentiores, fine ullis ornamentis, monimenta folum temporum, hominum, locorum gestarumque rerum reliquerunt. Haud fufficiat etiam, ut ipfos nominemus, quos inter fe commisfuri fumus Historicos. Ut cognoscantur antiqui recentiorisque aevi Historici, ipfius Historiae initia, progresfus, vicisfitudines univerfo attendi oportet. Agite A. A. fpectaculum ita aperiamus, quod placide deinceps contemplemur.

Antiquisfimis temporibus rerum gestarum memoria cum templis et religione arctisfime fuit conjuncta, et fuerunt facerdotes fere custodes ejus et interpretes. Calchas non tantum futura, fed praefentia etiam cognoverat et praeterita. Oracula de gentium origine confulebantur, folebantque homines, tamquam Deorum effata, ea venerari. Haec autem ut intelligerentur, opus erat fermone, gentium cultui adaptato: opus erat verbis fub fenfus cadentibus, imaginibus, figu-

guris, comparationibus, Poëſi. Haec ergo fuit, ſic ut oraculorum lingua, vetustatis item nuncia atque interpres. Ut vero Graeci Heroum maxime operâ ad mitiorem vivendi rationem pervenerant, fixasque ſedes erant nacti; res ab ipſis gestae, omnium ore celebrari, et vero cum Deorum historiâ miſceri conjungi que coeptae ſunt. Qua quidem re et Dii videntur humaniores esſe facti, et Heroes magis ad divinitatem accesſisſe. Rerum inde gestarum memoria ſacerdotum diutius quaſi depoſitum manere non potuit. Exſtiterunt continuo mythi res proavorum continentes; exſtiterunt Ἀοιδοὶ, qui omnia ſupra fidem augentes ligato ſermone mythos traderent. Exſtitit deinceps carmen epicum Heroum gesta copioſe et ſublimi modo celebrans, Exſtitit denique Homerus, tamquam ſol inter minora ſidera lucens. Hunc proxime ſecuti ſunt Cyclici vulgo dicti, qui hoc ſibi ſumerent, ut mythos, inde a rerum initio usque ad Trojae everſionem, continuatâ quadam ſerie

tem-

temporibus locisque distinctâ, tenuiter vulgo atque jejune exponerent.

Sed nimirum uti animus vehementioribus affectibus concusſus, non niſi post languorem quendam ad ſerenitatem ſolet et ſtatum redire naturalem: ſic item Historia, Epico carmine poëticam formam cum nimis asſumſisſet, istiusmodi languorem in Cyclicis experta est, ut ad germanam tranquillitatem et dignitatem ſuam perveniret. Praeterea tempora una cum morbo medicinam attulerant. Gravisſimae turbae et rerum mutationes in Graeciâ locum habuerant: Heraclidarum reditu et aliis etiam opportunitatibus plurimae coloniae erant conſtitutae: regia imperii forma ſenſim ſenſimque in popularem erat commutata: mens hominum ad majorem ſe cogitandi agendique libertatem exſeruerat et ad philoſophiam ſe applicare coeperat. Hoc igitur tempore Historia quoque aliam formam induit, metrum repudians, quo ſe impeditam ſentiret, inque Logographorum posſes-

fessionem pedem posuit. Hi, sub miti Joniae coelo nati, ab Epico carmine, non nisi prosâ oratione, fuerunt diversi. Mira adhuc et insueta placebant: mythi argumenti materiam suppeditabant, a quibus recedere, quippe cum religione arctissime conjunctis, summum nefas habebatur. Interim Graeci magis magisque ad maturitatem accedebant. Externa cum domesticis conjungebantur: nova ingenio aperiebantur spatia, in quae laete excurreret: Graecae coloniae mercaturâ florebant, et cum aliis gentibus habebant commercium: unde crebrae peregrinationes, aliarum gentium notitia, investigandi atque peregrina visendi studia. Mythis quoque fides sensim paullatimque detrahebatur, et praesentia magis quam praeterita hominum mentes tenebant. In summum etenim Graecia fuerat discrimen adducta. Persae, ferrum et ignem minitantes, Asiaticas colonias tantum non deleverant, ipsas Athenas ceperant, servitutis vinculis omnium aures increpuerant: ipsa fuga

ex-

exitum non habere, nec ulla ſalus niſi in morte ſuperesſe videbatur. Ast novi Heroes, tamquam de coelo misſi, hos barbaros vicerant, fugaverant, fregerant. Graecia victrix, ſuis ſe viribus efferens, ſuam celebrari gloriam gestiebat. Hecataeus, Dionyſius Mileſius aliique viam muniverant; ſed deſiderabatur adhuc anxia illa et religioſa veri investigatio: deërat liberum rerum et integrum judicium: fides deërat Historica: deërat Herodotus. Hic igitur Historiam, quae vere ita dici posſet, conſtituit, et unus omnium maxime Parens Historiae dictus est. Eximiis ingenii dotibus munitus hoc potisſimum conſilio plurimas terras lustraverat, ut, causſis belli Perſici inquiſitis, ſuis eas traderet. Itinere redux, animum ad ſcribendum appulit, candide et ſimpliciter narrans ea, quae viderat, ab aliis audiverat vel ipſe inquiſiverat. Non vero ſemper narrat; ſed ſuum etiam ſubinde judicium in medium profert, et artem criticam exercet: quin Dionyſius Hallicarnasſen-

ſis

sis docet, res eum diversissimas, domesticas et externas, conjunctim et perpetuitate quadam orationis, non separatim et abrupte, Logographorum more, persecutum esse. Ejus tamen Historia quominus perfecta atque consummata dici possit, religiosius fabulis subinde et mythis fidem habet, incredibilia consequitur, Logographiam redolet (1). Oratio ejus ad Poësin plane est conformata: operis distributio epica: verbo, ὁμηρικώτατος fuit Herodotus (2).

Proximus huic Thucydides, qui, in Anaxagorae schola ad cogitandi judicandique solertiam informatus, accessit ad Rempublicam, inque bello Peloponnesiaco gravem ipse personam sustinuit. Hujus adeo belli descriptionem eamque πραγματικὴν suscepit Thucydides, hoc maxime proposito, ut omnia referrentur ad Rem-

(1) v. Creuzer Die Historische kunst der Griechen p. 72.

(2) Vid. Cl. Wyttenbach. praefat. ad select. princ. Hist. p. x.

Rempublicam, civilemque historiam conderet. Itaque Poëtas deserit et Logographos, rerum caussas et eventus subductis rationibus expendit, dijudicat et sagaciter intimos humani animi recessus indagat, virtutem et vitia justo pretio aestimans. Ubique legentium utilitatem spectat, et superstitione liber Deos, oracula, vaticinia ab Historicâ fide prorsus aliena statuit. Oratio praefracta quidem; sed pressa atque sublimis, ad Philosophiae magis severitatem, quam Poëseos hilaritatem composita, hac tamen ipsâ in descriptionibus praesertim et orationibus colorata. Haec autem ejus ratio cum Graecis minus probaretur (1), ad Poëticum ipsorum ingenium magis accommodatus fuit Xenophon, Musa Attica cognominatus, qui Socraticam disciplinam referens, ad Herodoti facilitatem et venustatem ita accedebat, ut ad suavitatem, concinnitatem et ad germanam

Grae-

(1) Vid. Dion. Hall. in Thucyd. Judicio.

Graecorum indolem relata essent omnia. Ipse egregius belli dux, idemque pacis artibus conspicuus, historiam conscripsit ad Rempublicam administrandam ita frugiferam, ut Alcibiades, hac perceptâ, omnia se in Republicâ consecuturum speraret. Minorem tamen eum fuisse Thucydide, hoc est testimonium, quod hic totam scriptionis materiam ejusque vim ita universe pertractavit, ut Reipublicae administratores, inde quod imitarentur, inde quod vitarent, caperent. Ab hoc consilio nunquam discedit, digressiones vitat, aliorumque orationes ad hoc potissimum refert consilium. Xenophon autem grandi adeo rationi minus par, singulorum hominum virtutes notavit et vitia, ut inde lectores proficerent. Quocirca egregie Creuzerus ille (1), Herodoti Historiam, epicam: Thucydidis, concionariam: Xenophontis, dramaticam esse dixit.

Qui

(1) Die Historische kunst der Griechen p. 318. 319.

Qui vero post Xenophontem usque ad Polybium, vertentibus duobus fere saeculis, historiam condiderunt, hi ad unum perierunt omnes, quos inter Ephorus, Theopompus, Timaeus aliique. Hac aetate suis Alexander victoriis Historiae theatrum amplificaverat quidem; ast idem, Graecorum libertate pessum datâ, germano suo Historiam colore privaverat, ut fucato fere nitore in scenam prodirent Historici. Itaque pro Macedonici saeculi ingenio Historia cum Rhetoricâ, Chronologiâ, Geographiâ caeterisque artibus et doctrinis conjungi coepta est (1). Tandem prodit Polybius Historiae pragmaticae et vere universae unicus auctor. Res ipse viderat, aut ex iis, qui viderant, cognoverat: summos in patria honores gesserat eratque in liberâ patriâ natus. Caeterum cum ratione tum oratione a superio-

(1) Vid. Cl. Wyttenbach. praefat. ad selecta Principum Hist. p. xv et xvi.

rioribus longisſime distans. Non a Poëſi, ſed a Philoſophiâ eâque Stoicâ profectus, et aetate vivens, quâ gentium esſe Historia vere univerſa coeperat; haec item tanquam Stoicus ſua ſcriptione complexus est, ubique ſpectans, ut ſui non tantum cives; ſed omnes in vitae uſu proficerent, virtutes ſectarentur, vitia et errores vitarent, aliorumque exemplo ſaperent. De rebus earumque causſis et eventibus, de hominibus eorumque naturâ et ſtudiis, de gentibus earumque civili conditione et viribus, ita philoſophice et ſubtiliter disſeruit, ut paucos ſibi pares, ſuperiorem adhuc habuerit neminem.

Ne vero quid disſimulem, quo major in eo fuit rerum ac ſcientiae praestantia, eo minorem fere orationis et compoſitionis elegantiam est asſecutus. Quae quidem ratio, ut rerum gravitati et copiae orationis compoſitio et elegantia postponeretur, tristis quaſi nota fuit, quâ duo ſequentia ſaecula fuerunt inſignita (1).

Sed

(1) Vid. Cl. Wyttenbach. l. l. p. xix.

Sed quo plures refero, eo magis mihi crescit dicendi materia. Nihil enim adhuc dixi de Plutarcho, qui pragmaticam rationem cum poëticâ morum hominumque notatione conjunxit, nihil de Arriano; qui simplicitate et facilitate Xenophontem potissimum expressisse videtur. Hîc autem omnes pro dignitate censere, temporis angustiae, quibus concludor, impediunt. Haec igitur in universum teneamus, Graecos deinceps scriptores Polybianam, quamvis longo intervallo, rationem subsecutos, διδακτικὸν Historiae conscribendae genus constituisse.

Apud Romanos Historia non tantum eadem atque apud Graecos initia habuit, uti ipse Cicero docet (1); sed sensim paullatimque latiorem etiam campum complexa est. Caesar Xenophontis exemplo res suas gestas descripsit; Sallustius non nisi bella quaedam et partes

(1) Cic. de Orat. II. 12. Conf. de legibus I. 2.

tes Historiae tradidit: Livius totam fere sibi Romanorum historiam sumsit: Trogus Pompejus *totius mundi origines et terrae situs* persecutus est: Tacitus tandem, in minori quidem spatio versatus, ipsam tamen naturam attendit et explorat humanam, artemque politicam et res aulae cum suâ historiâ conjungit Hoc autem Romani videntur habuisse proprium, ut eorum Historia gentis indolem ad dignitatem et majestatem compositam: gentis sermonem brevitati et gravitati accommodatum: Stoicam omnino rationem et ipsa Romanorum tempora referret. Caeterum tam de Romanis quam de Graecis universe monendum est, Historiam apud eos Poëtico fere habitu processisse, quippe e Poësi ortam, eandemque insigni illâ vi eloquentiae valuisse, quae antiquis Rebus publicis propria esse soleret. Mox vero Historiam gradum retulit. Nam „ postquam omnem po- „ testatem," inquit Tacitus (1), „ ad unum con- „ fer-

(1) Histor. I. 1.

„ ferri pacis interfuit, magna illa ingenia cesse„ re: ſimul veritas pluribus modis infracta; pri„ mum inſcitiâ Reipublicae ut alienae, mox libi„ dine adſentandi, aut rurſus odio adverſus do„ minantes: ita neutris cura poſteritatis, inter „ infenſos vel obnoxios. Sed ambitionem ſcripto„ ris facile adverſaris; obtrectatio et livor pronis „ auribus accipiuntur. Quippe adulationi foedum „ crimen ſervitutis, malignitati falſa ſpecies liber„ tatis inest". Egregia ſane Historiae notatio et χαρακτηρισμὸς non tantum in Taciti, ſed in poſteriora etiam tempora apte quadrans! Nam ex quo tempore Imperii Romani ἀκμὴ inclinari coepta est, defloruerunt etiam literae, defloruit Historia. Hic illic vestigia priscae rationis apparent; ſed pauca illa atque tenuia. Barbari barbariem quoquoverſum propagant. Omnia post quintum ſaeculum in Italia obscura, inculta atque barbara jacent.

Neque Byzantii, ubi hospitium quaeſiverat, ad pristinum dignitatis gradum Historia caput

extollere potuit; ſed temporum morbo corrupta languit, neque vires ante ſuas reparavit, quam una cum reliquis doctrinis in Italiâ contra barbariem perfugium invenerat. Purioris lucis crepuscula ſaeculo duodecimo in occidente ſubluxerant quidem; ſed mox ea ſcholasticâ philoſophiâ et inſequentis aevi perverſitate quaſi nube fuerunt obducta.

Et ſic A. A. per temporum curſum ad Recentiorum Historicos nostra prolabitur oratio. Nec tamen a me exſpectetis, ut nunc deinceps Recentiorum in hoc literarum genere ſtudia adumbrem, uti hoc de veteribus ſingulatim feci. Ipſius Historiae initia et progresſus adhuc indicare debui, quod paucis abſolvi haud facile poterat. Nunc brevius exponere ejus apud Recentiores rationem et vicisſitudines licebit.

Florere denuo artes literaeque in recentioribus Europae gentibus inceperunt. Expeditiones primum ſacrae, heroica Europaeorum ſaecula con-

tinentes, Poëtas excitaverant vernaculo eas sermone celebrantes. Mox idem argumentum, quippe quod omnes cognoscere cupiebant, prosae quoque scriptores vernacule tentaverant (1). Praeterea ars typographica erat inventa: recentiores linguae excoli erant coeptae: Graeci, Constantinopoli a Turcis captâ, in Italiâ hospitium invenerant: scholae Florentinae exstiterant: America detecta: via denique maritima in Indias patefacta erat. Hoc igitur tempore Machiavellus, et Guicciardinus Italico sermone patriae historiam conscripserunt, non quidem antiquam normam, nec item recentiorem secuti; sed eam ut eorum ratio utriusque cinnus esset, in neutro genere excellens, utriusque particeps: at Historiam tamen. Tum vero ingenium humanum, vinculis quibus adhuc premebatur abjectis, prorupit in libertatem. Prodierant Erasmus, Reuch-

(1) Vid. Heeren, essai sur l'influence des Croisades, p. 436 sqq.

Reuchlinus, Lutherus, alii. Renascuntur Literae, genusque humanum ad humanitatem reducitur. Historia etiam caput in altum extollit. Florent Buchananus, Carion, Melanchthonus, Grotius, Thuanus, Hoofdius, alii (1). Historia ad temporum rerumque conditionem componi referrique coepta est, proque mutatâ omnium rerum ratione, Historia etiam nova, quae vere ita dici posset, extitit. Hoc tamen eorum demum operâ consummatum, qui non recentioribus tantum linguis historiam conscripserunt; sed Geographiam etiam, Antiquitatem, artem politicam et oeconomicam, artes mechanicas, Philosophiam, alia, una cum gentium historiâ proque ingenii humani cultu tradere valuerunt. In quo quidem genere, Robertsonus, Humius, Gibbonus, Mullerus, Schillerus, Heerenius, Ancillonus aliique tanquam lucida sidera fulgent.

Et

(1) Vid. Villers, essai sur l'esprit et l'influence de la Reformation de Luther, p. 265, 2^e^. edit.

Et longum ſic iter confecimus, A. A., ut tandem itineris caperemus fructus. Quinam qualesque fuerint utriusque aetatis Historici, ſatis jam habemus perſpectum. Univerſe jam eos ab utrâque parte conſideremus. Antiqui in parvis Rebus publicis vitam agebant publicam: Recentiores in magnis imperiis vitam fere domesticam vivunt. Illi in exercitibus, in foro, in concionibus verſati, Graecis et Romanis: hi in bibliothecis, a rebus gestis remoti, et privatim fere degentes, omnibus omnino gentibus Historiam conſcripſerunt. Antiquae Historiae mater fuit Poëſis: Recentioris, Philoſophia: illic orationis gratiâ et venustate traheris: hîc philoſophicis disquiſitionibus ad verum adduceris. Prisci denique adolescentiam generis humani, qua ipſi vivebant, ſcriptis ſuis retulerunt; Recentiores vero propius accedentes ad veram hominis maturitatem, pulcro, quo unice delectabantur Veteres, praepoſuerunt verum, justum, utile.

Quum

Quum vero ita ſponte velut in editum quemdam locum pervenerimus, unde hinc Antiquos, illinc Recentiores contemplemur Historicos, agite, A. A., diligentius etiam in utramque partem oculos conjiciamus, et inprimis attendamus cum *propoſitum*, quod utrique asſequi ſtuduerunt, tum *orationem*, qua uſi ſunt, ut juste aestimare utrorumque discrimen posſimus.

Antiqui in rerum civilium et militarium inſtitutionibus ſummum credebant Reipublicae bonum esſe poſitum. Neque hoc mirari ſubeat, cum nulla antiquis officia ſanctiora esſent iis, quae patriae deberent. „ Omnium", inquit Cicero (1), „ ſocietatum nulla est gravior, nul„ la carior, quam ea, quae cum Republicâ est „ unicuique nostrum. Cari ſunt parentes, cari „ liberi, propinqui, familiares: ſed omnes om„ nium caritates patria una complexa est". Idemque ſubjungit, „ ſi contentio quaedam et „ com-

(1) De Off. I. 17.

„ comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum „ officii, principes esse patriam et parentes". In antiquis legibus homo tamquam civis apparet: Recentiores vero, hominem eumque moralem et cum toto genere humano conjunctum spectant: neque apud hos rerum civilium et militarium aliter ratio habetur, nisi ut eae civium libertati tuendae inserviant, eisque stabilem felicitatem concilient.

Haec igitur si vera sunt, uti sunt verissima; optime inde tam Antiquorum quam Recentiorum in Historiâ literis mandandâ, diversum consilium effici possit. Nam quum Respublica quasi axis esset, circum quem omnia se converterent; primarium esse debuit Antiquorum consilium, ut ubique suis patriae amorem inculcarent, inque patriae gloriam monimentum ponerent, quo popularium animos tractarent, et ad honestas quasque et fortes majorum res gestas imitandas incitarent. Quam quidem rationem fontem omnium virtutum esse civilium

exis-

existimarunt Antiqui. Hunc igitur aperire, huc itinera commonſtrare, ad hunc quaſi digitum intendere, ipſis religio fuit.

Haec apud Recentiores longe aliter obtinent. Gentes enim, majore hodie aequitate ductae, neque Historicos ferant, popularium laudis ita cupidos, ut aliis eam praereptam velint, neque historiam in vanâ ſe gloriâ jactantem. Stant ſuae cuique laudes. Apud Antiquos Historia res erat civilis: hodie ſcientia, quam quidem, conſtanti univerſae utilitatis propoſito, cum vero et arte criticâ conjunctam Recentiores pertractant. Sed haec etiam alio ſpectant. Scilicet ex eodem mihi fonte cauſſa derivanda videtur, cur Antiqui exterarum ſaepe gentium tam parum rationem habeant, tamque eas contemnant, ut vix ſuâ notatione dignas cenſeant. Quid enim, niſi Graecum Romanumve, homini Graeco vel Romano placere posſit? Itaque Historici, civiles quippe, hac in re ſaeculi ingenio cedere debuere. Populares in ſcenam

nam producunt: exteros vix e postſcenio jubent prodire, niſi ut hisce producendis, illorum perſonae et partes augeantur.

Ne vero quis vestrum hîc me putet ſeveriorem Antiquorum cenſorem esſe, ipſos vos testes facio. Nonne in Antiquis plurima ſuperſunt vestigia, e quibus, vel ipſis invitis, ſatis ſuperque appareat, Barbaros istos, ſugillatos adeo et contemtos, haud ita ſuperbis ſuis victoribus fuisſe minores? Quem in Antiquis legendis, non mecum quovis pretio Perſicum Herodotum aut Livium Carthaginienſem redimendi cupiditas incesſit? Integriorem profecto rationem ſecutus est Polybius; ſed vel hic idem, in rebus Arati enarrandis, vereor, ut commune Antiquorum vitium effugerit. Nolite tamen existimare, A. A., Polybio et Recentioribus unice hanc ob causſam fidem habendam esſe: reliquos, ut parum integros, esſe rejiciendos. Antiqui ſuis ſcripſerunt civibus, aliena non niſi obiter perſtringentes, vel civili certe conſilio

at-

attingentes: Graecis Graeca, Romanis tradunt Romana. Caeterum multa ex aliarum gentium historiâ, moribus, religione literis mandarunt, quae summi sint momenti, quaeque alibi frustra quaeratis. Quocirca ea, quae diximus, unice debent intelligi de iis locis, ubi contentio quaedam et comparatio instituitur, utris plurimum tribuendum sit, vel ubi popularium gloria in certamen venerit cum exterorum laudibus.

Recentiores vero, mutato Historiae consilio, sponte ab hoc vitio cavere debuerunt: quando haec demum historia omne hodie punctum ferat, unde haud elici possit, cujas ejus auctor sit.

Antiqui cupiebant amorem in patriam apud suos excitare et virtutes alere civiles. Haec igitur ut perficerent, efficiendum erat, ut legerentur, ut legerentur, placere, ut placerent, ad legentium se mores et rationem debebant componere. Historia ex epico carmine nata erat, Graecique ad Poësin toti erant conformati. Historiae pretium orationis elegantiâ et ar-

argumenti pulcritudine censebatur. Herodotus tamquam ἀγωνιστὴς suas historias in ludis musicis cecinerat. Ergo Historici suos lectores debebant delectare. Et hoc omnino delectandi propositum per totam Antiquorum historiam patet. Quid? quod optimi artis Criticae antistites, delectationis inprimis rationem habendam esse, docent. Dionysius Hallicarnassensis eam nullo modo ab Historiâ segregandam esse judicat, et omnia ad sensus referenda (1). Plutarchus, Polybianam caeteroquin rationem exprimere studens, hunc demum Historicum esse dicit, qui narrationem animorum perturbationibus depingendis, et personis animoque movendo aptatis figuris ita conformet, ut picturam referat (2). Quin ipse Thucydides (3), qui primus com-

(1) Vid. ejus epistola ad Pompejum tomo II. p. 128. edit. Sylburgii, Francof. anno 1586.

(2) Πότερον Ἀθηναῖοι κατὰ πολ. ἢ κ. σ. ἐνδοξότεροι. operum Moral. Tomo II. p. 422. edit. Wyttenbach. 8°.

(3) Lib. I. c. 22.

commisit, quod deinceps profligavit Polybius, recentiores tandem confecerunt, ut omnibus Historia utilis esset atque accommodata: hic igitur Thucydides candide fatetur, orationes, in historiâ suâ obvias, ita se composuisse, ut par sibi visum erat, eas esse habitas. Romani autem eandem, quam Graeci, viam sunt secuti; ita tamen, ut in iis inveniamus, qui Polybium egregie perceperint. Quid enim magis Polybianum dici possit, quam Ciceronianum illud (1): „ Quis nescit, primam „ esse historiae legem, ne quid falsi dicere „ audeat? deinde, ne quid veri non audeat? ne „ qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua „ simultatis? — Rerum ratio ordinem tempo„ rum desiderat, regionum descriptionem: vult „ etiam et de consiliis significari, quid scrip„ tor probet, et in rebus gestis declarari „ non solum, quid actum aut dictum sit; sed „ eti-

(1) De Orat. II. 15.

„ etiam, quomodo: et cum de eventu dicatur,
„ ut causſae explicentur omnes vel caſus, vel
„ ſapientiae, vel temeritatis: hominumque ip-
„ ſorum non ſolum res geſtae, ſed etiam,
„ qui fama ac nomine excellant, de cujusque
„ vita atque naturâ". Volebant delectare Antiqui, hoc est, non pueris fabulas atque nutricum cantilenas decantare; ſed delectare Graecos: Graecos, inquam, omnium fere artium atque doctrinarum inventores, quique pulcri venustique ſenſu ita fuere imbuti, ut non tantum Romanorum hac in re magistri esſent; ſed in artibus hodieque hoc demum pulcrum, elegans, conſummatum dicatur, quod Graecum ſit. Quid igitur? Aut ego fallor, A. A., aut ipſi ſentitis, antiquos delectare non potuisſe, niſi ad antiquorum rationem totos ſe conformarent. Inde crebrae in veterum historiâ orationes: inde amoris patriae, aliorumque contemtionis vestigia: inde denique apud priscos libertatis ille et antiquitatis color ubique obvi-

vius. Recentiores non cives delectare; ſed homines aliorum exemplis meliores reddere, eorum ingenia, rerum ſcientiâ exornare, historiam utilem atque fructuoſam tradere ſtudent. Historia inde a renatis literis philoſophico magis quam poëtico colore imbui, et cum omni humanitate conjungi coepta est. Haec igitur omnia Historiâ ſuâ Recentiores debent complecti. Societatibus civilibus longe alia hodie fundamenta, quam olim, ſubſtruuntur. Haec indicare, eorum ſoliditatem probare, eorumdemve fragilitatem, ſubductis rationibus, reprehendere, cui haec potius, quam ipſi Historico, deferamus? Attendat oportet Historicus cum ad aerarii dispenſationem, tum ad Reipublicae administrationem, quarum artium progresſum et errores quis tandem melius nobis indicet, quam ipſe Historicus? Artes mechanicae, ab antiquis ſervis relictae, longe maximam in recentiorum historiam vim exercent. Disſimilis foeminarum conditio; Athenis in gynaeceo recluſae:

Ro-

Romae in tutelam mariti addictae: nobis in honore esse solent, et maximam vim in mores, ingenii cultum, sermonem, et historiam exercere. Religio apud Graecos Poësi, apud Romanos arti civili subjecta; nobis esse libera, divina, Christiana, solet. Sed quid plura? Antiqui virtutes excitant civiles: Recentiores generis humani rationem habent. Illi popularium superbiam alere: hi emendare homines student. Illi monimentum in patriae gloriam ponunt: hi unice verum consequuntur. Illi delectandi, hi docendi habent propositum. Nec mirum. Differunt regiminis formae, differt artium, doctrinarum, ingenii cultus, omniumque rerum conditio: differunt tempora, differunt homines: quidni differat Historicorum Consilium?

Superest, ut utrorumque Historicorum considceremus orationem. Antiqui res ipsas viderant, iis interfuerant, longinquas terras visitaverant: itaque res, quas tradunt, vim suam in

ip-

ipforum fenfus exercuerant. Quae quidem vis, quo major est, folent homines eo collustratioribus coloribus earum rerum expofitionem aliis repraefentare. Antiqui, in civitatibus florentes, libertate fuâ et virium confcientiâ beatis, hanc ipfam libertatem et juvenilem ardorem fuis fcriptis expresferunt; unde fponte earum oratio mafcula et fublimis exiftere debuit. Eloquentia cum Graecis, tum Romanis, fummo habebatur honore. Vigebant ludi, nec gymnici tantum; fed mufici etiam. Historia, ex carmine epico profecta, poëticum colorem fervaverat. Arte Historiae confcribendae nondum regulis aut Rhetorum praeceptis circumfcriptâ, fuum quisque animi impetum et naturam fequi poterat. Graeci denique, pulcri venustique fenfu imbuti, nil, nifi quod pulcrum venustumque esfet, poterant proferre, ita ut fervidam Afiaticorum Φαντασίαν, Europaeorum exprimerent feveritate et acumine moderatam. Quid igitur? fenfus, libertas, Poëfis,

ludi, elegantia, natura: haec inquam omnia tantam in Antiquorum orationem habuere vim, ut in quovis diverso modo divina appareat. Eorum oratio animum extollit, imaginibus, figuris, verisque ornamentis mentes capit, tenet, incitat. Oratio, nullis artis impedita claustris, vagatur libere, quo velit: neque tamen evagatur, quippe naturam ducem atque comitem habens.

Porro Antiquorum fuit consilium, ut in patriae caritate suorum animos infigerent, cives ad fortia majorum et praeclara facta incitarent, iisque placere studerent. Quod ut efficerent, eorum oratio nitida atque pulcra, perspicua atque sublimis, venusta atque elegans, poëticis coloribus distincta atque ornata esse debuit. Sed quid plura? Unusquisque vestrum sponte suâ intelligit, omnia apud antiquos quasi conspirasse, ut in historiâ conscribendâ eloquentes et palmarii essent. Et omnino, si antiquorum spectes orationem, quod recentiores laudes,

des, nihil est. Non res, ſed ipſi homines inducuntur, omnia ad ſenſus, ad τὸ καλὸν referuntur. Videmus ea, quae pingunt, audimus, quae tradunt, mente eos ſequimur, quocunque tendunt. Plaudimus iis, quos laudant: invehimur in eos, quos vituperant. Gaudemus, ploramus, ubi nos gaudere et plorare jubent. Verſamur cum iis in caſtris, in concionibus, in victoriis, in cladibus. Requieſcimus cum iis ſubinde, digresſionibus recreamur, viribusque refectis, nova nobis theatra patefacta gaudemus. Nunquam faſtidium, nunquam taedium creant, quia ſemper ſequuntur naturam, neque haec ſolet ſui taedium parere. Egregie itaque hac de re Lucianus ita ſententiam aperit. „ Mens, inquit, Hiſtorici (1) Poëſeos parti„ ceps ſit, eique ſe adjungat, quatenus magni„ ficis ipſa quoque verbis utitur, atque elata „ eſt: maxime quidem in aciebus et pugnis

„ et

(1) De Conſcr. Hiſt. vol. II. p. 57. edit. Reitz.

„ et praeliis navalibus describendis. Opus „ enim tum erit poëtico quodam spiritu, qui „ secundo flatu vela impleat, elatamque per „ summos fluctus navim perferat. Dictio ta- „ men humi incedat, quae cum pulcritudine „ rerum narrandarum, et magnitudine attol- „ latur" Eademque docet Dionysius (1), dictionem existimans Historicam poëtico colore tinctam esse debere, nec tamen poëticam. In eandem porro sententiam iverunt Romani, in quibus Cicero (2) et Quinctilianus (3) chorum ducunt. Sed haec de antiquis.

Recentiorum longe aliam esse rationem, quis est, qui non videat? Etenim hi rebus ipsis non tantum non interfuerunt; sed nisi post multos labores et indefessam veri investigationem, ad ejus cognitionem pervenire non po- tue-

(1) Jud. Thucyd. tomo II. p. 161.

(2) De Orat. II. 15.

(3) J. O. X. 1.

tuerunt. Plurimarum rerum causfae, quae olim in foro vel cuique sui praebebant aditum, in intimis hodie aulae penetralibus reconditae, non nisi ad paucissimorum perveniunt notitiam. Singularum gentium historia universarum rebus ita solet esset implicita, ut Ariadnes tibi filo opus sit, quo te expedias et omnia explices. Ars politica, quae recentioribus vocatur, dici vix potest, quantopere historiae conscriptionem reddat difficilem et lubricam. Historia pragmatica unice hodie habetur esse ingenii cultui accommodata. Dictio historica certis regulis et praeceptionibus est circumscripta. Polybianam constanter rationem sequuntur, soletque in Historicis is esse Polybius, quem in Philosophis antea fuisse Aristotelem, et omnes norunt, et Philosophia experta est. Unde Historia ad τὸ ἀγαθὸν referri coepta est, et schola doctrinae et sapientiae exstitit hominibus, qui e Philosophiâ eâque recentiore profecti, nihil nisi vera, utilia, philosophica in historiâ sibi tradi

vel-

vellent. Recentiores igitur Philosophiam magis in historiâ, quam Poësin spectantes, res gestas a gerentibus abstraxerunt, et ad utilitatem generis retulerunt humani. Utilitati delectatio, rei oratio, materiae forma cessit. Quocirca eorum oratio philosophicae severitatis et laboriosae veri investigationis notam habet. „ Est enim Historia", inquit Vossius nostras (1), Philosophia exemplis constans. Haec „ Philosophiae et Historiae affinitas ac con„ junctio facit, ut Philosopho praecepta sua „ liceat Historicorum exemplis illustrare et vi„ cissim Historicus possit facta quaedam ad „ Philosophorum praecepta expendere". Quo magis igitur materia crevit historiaeque ambitus est dilatatus, eo magis oratio languit et ab antiquorum elegantiâ degeneravit. Solet enim idem recentioribus, quod pictoribus accidere, quorum fervida φαντασία in atterendis coloribus

(1) Ars Hist. p. 91.

bus deferbuit. Unde dicendi genus tractum quidem et perſpicuum, non vero ſublime atque elegans; acutum quidem et accuratum, non vero ſtructum et terminatum; philoſophicum quidem et artem redolens, non vero poëticum et naturale apud Recentiores exſtitit.

Et ſic Veterum Recentiorumque Historicorum obſervavimus diverſa quibus vixere tempora: diverſum quod egerunt conſilium: diverſam qua uſi ſunt orationem. Admirabiles ſunt profecto Recentiores, qui univerſum oculis complectentes genus humanum in civium non tantum gratiam; ſed in omnium omnino gentium hominumque uſum historiam conſcribere inſtituerint. Admirabiles ſunt iidem praeclaro illo et vere masculo veri ac publicae utilitatis ſtudio. Verum enim vero quantumvis ego has eorum virtutes ſuſpiciam; fateor ingenue, haud minus admiror Antiquorum illum pulcri venustique amorem, qui per omnia antiquitatis monimenta et ſpirat et domi-

na-

natur. Equidem, A. A., integro vobis judicio relicto, hoc unum hîc animadvertendum esse duxi, ad praeclara haec omnia pervenire non potuisse Recentiores, nisi habuissent, quibus a teneris erudirentur, Antiquos. Ita demum amore imbuti veri τοῦ καλοῦ, scriptis deinceps suis τὸ ἀγαθὸν exprimere potuerunt.

Sed veniam eo, quo hujus diei solennitas, et vero animi voluntas me jam dudum vocant, ut publice hic gratum erga optimum Regem animum testificer, cujus immortali beneficio factum, ut inclytae hujus Academiae Professorum numero adscriberer, inque statione collocarer, qua quidem exoptatior aut honorificentior mihi nulla contingere posset. Hîc igitur publice meâ fide spondeo, me, si minus doctrinâ atque eruditione; industriâ certe et diligentiâ cessurum nemini: cumque omnibus virtutibus me affectum esse cupiam; tamen nihil esse, quod malim, quam me et gratum esse et videri.

Vobis autem, Viri Amplissimi! quibus hujus

jus Academiae curam et moderamen esse commissum, et laetantur omnes, et ego munus gratulor; vobis inquam me meaque commendare liceat. Habetis me juvenem; sed juventutem modestiâ et obsequio: habetis me novum; sed novitatem fide et observantiâ: non ita doctum; sed doctrinam assiduitate et animi contentione pensaturum: habetis me denique eum, qui tum demum provinciam meam obiisse existimaturus sum, quum nec vobis displicuero, nec unquam Academia vestra ex me detrimentum ceperit.

Vos vero cum intueor, Viri Clarissimi, qui in hac Academiâ divinas humanasque disciplinas profitemini; pietatis me simul et laetitiae sensu perfusum esse sentio: complures enim vestrum, quos olim magistros et patres habui, eosdem collegas et amicos saluto. Cuncti autem in patriam me urbem revertentem ita excepistis, ut nullus dubitem, quin in vestrum me jam ordinem adscriptum, libenti animo in

ami-

amicorum recipiatis numerum. Vobiscum ingenio et doctrinâ certare, temerarium ſit; ſed ita vobis omnia ex ſententia cedant, uti ego nihil temere praetermittam, quo vestrâ me amicitiâ dignum reddam, et fide vobiscum certabo.

Posſum ego ſatis in te, clarisſime Heusdi, unquam gratus videri, qui mihi princeps tam ad ſuscipiendam quam ad ingrediendam rationem nostrorum ſtudiorum exſtiteris, et vero tuo me hortatu praeceptisque conformaris totum? Pro tantis autem in me beneficiis ut parem tibi gratiam reponere nequeo, ita omnis erit aetas mihi ad tua erga me merita praedicanda atque recolenda. Ni vero humanitate tuâ abuti videar; est aliquid amplius, quod mihi a te tribui velim: ut quem literarum humaniorum ſtudioſum praeceptionibus tuis atque monitis informasti; eidem earundem literarum Profesſori conſiliis tuis et auctoritate ut ne deſis. Sic enim cum Aca-

de-

demiae tum meis rationibus, ut qui maxime, confulueris.

Vos etiam optimi Commilitones, compello atque faluto. Ad vos accedo, non ut magister ad discipulos; fed ut amicus, diutius aliquantum in literis verfatus, ad fodales juniores. Pactionem itaque ineamus, qua vos quidem obftringamimi, ut industriam mihi, docilitatem atque modestiam praestetis; ego vero fide, amicitiâ et benevolentiâ tenear. Sic ego vos in percurrendo, cui infistitis, ftadio comitabor, ad puriores elegantiae fontes manu quafi vos adducam, viâque per aedem Virtutis monftratâ, Honoris vobis valvas aperiam. Si denique tanti videar, ut non tantum ftudiorum me ducem, fed vitae quoque capiatis auctorem; eum me habebitis, quem habuisfe, ut fpero, haud pigebit.